



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis  
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris  
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

**Bernardus <Claraevallensis>**

In Festo omnium Sanctorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39254**

affectione & cum desiderio gratiæ cohæret, ut nec concupiscat mala agere, nec bona minora, nec minus benè quàm gratia suggerit: hic planè perfectus est vir. Sed pax ista potius est felicitatis: abscissio verò scandalorum, & tentationū victoria, fortitudinis: illa, inquam, gloriæ, hæc virtutis.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM

De lectione Evangelica.

S E R M O I.

**F**estivitatem hodiernam Sanctorum omnium cum omni devotione dignum est celebrari. Nimirum si magna videtur, & est, beati Petri solemnitas, seu beati Stephani, aut cuiuslibet cæterorum, quanta ista est, quæ non unius tantum est, sed universorum? Verum non ignoratis, fratres, secularibus id moris esse, ut diebus festis festiva sibi convivia parent: & quanto fuerit solennitas clarior, tanto splendidius epulentur. Quid ergo? Nonne & his qui convertuntur ad cor, cordis deliciae sunt quærendæ? & spiritualibus spiritualia comparanda? Propterea iam paratum est convivium nostrum, fratres, jam cocta sunt omnia & epulandi tempus advenit. Dignum est enim, ut prius anima satiatur, quod hæc portio sine dubitatione, & sine comparatione sit potior, præsertim cum Sanctorum solennitates manifestum sit ad animas magis quàm ad corpora pertinere: & quæ animarum sunt, animæ plus acceptent, quippe naturali quadam eis cognatione coniunctæ. Quibus propterea quoque Sancti isti compatiuntur amplius, propterea magis desiderant animarum bona, & plus earum refectioibus delectantur, quoniam & ipsi similes nobis fuere passibiles: & ipsi peregrinationis huius & exilii miserabilis deploravere molestias: & ipsi grave huius corporis onus, & tumultus seculi, & tentationes experti sunt inimici. Nihil itaque dubium quin gratior eis sit, & multò acceptabilior illa festivitas, qua intenditur epulis animarum, quàm sit ea quæ celebratur à secularibus curâ carnis perficientibus in desideriis voluptatum.

*Festivitates  
piis & religio-  
sis non more  
secularium ce-  
lebranda.*

Veruntamen unde nobis animarum panis in terra deserta, in loco horroris, & vastæ solitudinis? Unde nobis sub sole spiritualis cibus, ubi nihil est, nisi labor & dolor, & afflictio spiritus? Sed scio quis dixerit: *Petite, & accipietis*<sup>a</sup>. Et illud<sup>b</sup>: *Si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester cælestis è cælo dabit spiritum bonum petentibus se?* Nec ignoro quam obnixè tota hac nocte & die petieritis mendicantes dari vobis panem de cælo vivum; non eum qui corpus corroborat, sed qui confirmat cor hominis. Nam convivas quidem non ausim dicere, sed mendici sumus præbendâ DEI viventes. Mendici, inquam, jacentes ante januam regis prædivitis, ulceribus pleni, &

*Conviviū spi-  
rituale ador-  
nat suis Bern.  
a Matt. 7. a  
b Ibid. b.*

Sermones S. Bernardi.

D d d

cupien-

*Mendici sumus ante januam summi Regis.*

cupientes saturari: imò & sustentari de micis quæ cadunt de mensa dominorum nostrorum, quorum celebramus hodie solennitatem. Nempe deliciis affluunt, & mensuram accipiunt bonam & confertam, & superfluentem. Confidimus autem quoniam erit qui det nobis: chaos enim magnum & distantia est multa nimis inter liberalitatem & benignitatem Dei, & avari divitis crudelitatem. Propterea dedit hodie Pater noster panem. Patrem enim misericordiarum, patrem esse necesse est etiam miserorum. Dedit (inquam) nobis panem de cælo, & cibaria in abundantia: quorum utinam ego fidelis coquus, utinam anima mea coquina utilis videatur.

Siquidem ad præparanda fercula vestra, tota hæc nocte concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exarsit ignis: ille sine dubio, quem Dominus Jesus misit in terram, & voluit vehementer accendi. Nam spiritualem cibum, & coquinam, & ignem habere necesse est spiritualem. Superest jam ut distribuam quæ paravi: vos autem considerate potius dantem Dominum quàm ministrum distribuentem. Ego enim, quantum in me est, nihil aliud sum quam conservus vester, qui vobiscum pariter & mihi & vobis (sicut ipse Dominus novit) mendico panem de cælo, & alimoniam vitæ. Propterea non ego vobis, sed Pater vester ipse est, qui dat vobis panem de cælo vivum: ipse vos pascit, & operibus, & sermonibus, etiam & carne Filii sui, qui est verè cibus. Nam & de operibus lego<sup>b</sup>: *Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei: & de verbis: Quoniam non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei<sup>c</sup>.* Ergo nunc quidem cibari habemus factis eius & verbis, post hæc etiam illibatam Dominici corporis Sacramentum in altaris mensa Sacrosancta (ipso propitio) percepturi.

<sup>b</sup> Ioan. 4. e  
<sup>c</sup> Deut. 8. a

<sup>d</sup> Matt. 5. a  
*Christi suavis  
tas attrahit  
omnes.*

<sup>e</sup> Psal. 44. a

*Perfectiones  
omnium rerum  
eminentius in  
D E O.*

Legimus in Evangelio hodie, quoniam *videns turbas Iesus, ascendit in montem<sup>d</sup>*. Prædicantem enim Dominum, de civitatibus & castellis populi sequebantur: quorum salvabat animas sanabat corpora; & adhærebant ei, affatu pariter & aspectu illius delectati: cuius nimirum vox suavis, & facies eius decora, sicut scriptum est<sup>e</sup>: *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis.* Talis est quem nos sequimur, cui adhæremus, totus desiderabilis, in quem non solum populi, sed & ipsi quoque Angeli sancti desiderant prospicere. Quid vobis suavius apponemus? Nimirum hæc sunt deliciae Angelorum. Gustate proinde, & videte quoniam suavis est Dominus. Et huic suavitati, huic saporì, huic sapientiæ quæ trahitur de occultis, omne quod desideratur, non valet comparari. Quid enim? Miraris in sole splendorem, in flore pulchritudinem, in pane saporem, in terra fecunditatem? Sed à Deo hæc universa donata

sunt;

sunt: nec dubium quin multo amplius reservaverit sibi, quam dederit creaturis.

Jam ne hoc quidem ociosum putemus, quod ascendit in montem; nimirum quod tantò ante prædictum est, tanquam à longè clamante Propheta *f*: *Super montem excelsum ascende tu qui Evangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam qui evangelizas Hierusalem.* In qua ascensione, si vos melius non habetis, ego illud intelligendum puto, quod in initio Actuum Apostolorum & beatus Lucas meminit, dicens: *Primum quidem sermonem feci de omnibus, & Theophile, qua cepit Iesus facere & docere.* Utiq; non juxta Pharisaorum morem, qui alligabant onera gravia & importabilia, & imponebant ea in humeros hominum, digito autem suo nolebant ea movere *h*. An non bonus animæ panis est iste, & plurimum confirmans cor hominis? Fiducialiter sequor te Domine quocunque ieris, & securè incedo viam mandatorum tuorum, sciens quod per eam præcesseris ipse. Securè, inquam, viam mandatorum tuorum curro, quandoquidem novi quod à summo cælo egressio tua ad currendam hanc viam: & occursum tuum usq; ad summum eius fuerit per hanc viam. Non possum modò, Fratres in hunc modum singula masticare: vos estote animalia munda & ruminantia, ut fiat sicut scriptum est: *Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis* *i*. Cogit enim succingere forsitan & præcindere verbum, tam brevitatis horæ, quam materiæ magnitudo.

*f* Esa. 40. b

*g* Act. 1. a

*Christus fecit & docuit.*

*h* Matt. 23. a

*i* Prov. 21. c

*Videns turbas Iesus ascendit in montem.*) Videns miserationis intuitu, quoniam erant sicut oves errantes non habentes pastorem. Quid est quod priusquam docere inciperet, ascendit in montem, nisi quòd in hoc ipso docuit necesse habere prædicatores verbi Dei desiderii animi, & conversatione sancta ad sublimia tendere, & virtutum conscendere montem? *Et cum sedisset, accesserunt ad eum Discipuli eius.* Cum sedisset, inquit. Alioquin quis ad excelsum illum gigantem posset accedere. Benignissimè prorsus inclinavit se, & exinanivit usq; ad sessionem, ut dicat Patri: *Tu cognovisti sessionem meam, & resurrectionem meam* *k*. Sedit enim ut ad eum quem ne ipsi quidem Angeli stantem attingere poterant, etiam publicani & peccatores accederent: accedat Maria Magdalene, accedat & Latro de cruce. *Et cum sedisset, accesserunt ad eum Discipuli eius.* Accesserunt non tam incessu pedum, quam affectu cordis, & imitatione virtutum. Benè autem non turbæ, non quilibet de populo, sed Discipuli accessisse dicuntur: quatenus sicut Testamentum Vetus datum legitur *l* in monte Syna, solo Moyse ascendente, & populo expectante deorsum: sic & modo susciperent montes pacem populo, & colles justitiæ: & velut in tenebris quibusdam, & in occulto diceretur Apostolis, quod postea dicerent in lumine: & audirent in aure, quod prædicarent postmodum super tecta. Unde & sequitur;

*Prædicatorum conversatio ad sublimia tendere debet,*

*k* Psal. 138. a

*Accessus ad sedentem quid.*

*l* Exod. 24. d

Matt. 5. a

D d d 2 Et

*Et aperiens os suum, docebat eos.* Aperuit nunc os suum, qui Prophetarum prius aperuerat ora. Hinc est quod legitur in Psalmo, Prophetam dicente <sup>m</sup>: *Domine, labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam.* Nunc autem qui multifariè multisque modis olim locutus fuerat in Prophetis, demum suo ipsius ore locutus est, tanquam si diceret: Ego qui loquebar, ecce adsum. Beati qui audierunt loquentem in carne sapientiam: beati qui verbi DEI verba quæ ab ipsius ore processerunt, audierunt. Veruntamen quod audierunt illi, adhuc reservatur nobis: quia & nos audire possumus, quamvis non ab ipso. *Aperiens os suum docebat eos, dicens: Beati pauperes spiritu.* Verè apertum est os eius, in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ sunt reconditi. Et verè eius hæc doctrina, qui in Apocalypsi loquitur: *Ecce nova facio omnia,* qui per Prophetam ante prædixerat <sup>o</sup>: *Aperiam os meum, eructabo abscondita à constitutione mundi.* Quid enim tam absconditum, quam paupertatem esse beatam? Attamen veritas loquitur, quæ nec falli nec fallere potest: & ipsa est quæ dicit, *quoniam beati pauperes spiritu.* Sic vos insensati filii Adam divitias quæritis, divitias desideratis usque adhuc: cum jam beatitudo pauperum divinitus commendata, prædicata mundo, credita sit ab hominibus? Quærat eas paganus, qui sine DEO vivit. Quærat Judæus, qui terrenas promissiones accepit. Sed qua fronte magis, aut qua mente Christianus divitias quærit, postquam Christus beatos esse pauperes prædicavit? Quousque filii alieni, quousque vanitatem loquetur os vestrum, ut beatum dicatis populum cui hæc sunt, hæc visibilia, hæc præsentia: cum Filius Dei os suum aperiens locutus sit veritatem: *Beatos esse pauperes, & vae divitibus?*

*Quantum ergo Christiani tantopere divitias quæris?*

*Psalm. 53. b. Qui pauperes beati.*

*Philosophi olim divitias aspernati inter eos non censendi.*

Id diligenter attende quod non simpliciter pauperes nominat, propter plebeios pauperes necessitate miserabili, non laudabili voluntate. Spero equidem profuturam eis apud divinæ bonitatis misericordiam, hanc ipsam afflictionis suæ miseriam: scio tamen Dominum hoc in loco non de huiusmodi fuisse locutum, sed de his qui possunt dicere cum Prophetam <sup>P</sup> *Voluntariè sacrificabo tibi.* Attamen nec voluntaria quidem paupertas omnis laudem habet apud DEUM: nam & Philosophi omnia sua reliquisse leguntur, ut expediti mundialibus curis: studio vanitatis possent vacare liberius, & nolebant censu abundare terreno, ut abundarent magis in sensu suo. Hos discernit quod dictum est, *spiritu*, id est, spirituali voluntate. *Beati verò pauperes spiritu*, spirituali scilicet intentione, desiderio spirituali, propter solum beneplacitum DEI, & animarum salutem: *quoniam ipsorum est regnum caelorum.* Sed quis est qui sic loquitur, qui sic beatificat pauperes; & sic ditat? Putas poterit verum esse?

effe? Erit fine dubio: ſiquidem verax & potens eſt qui promittit. Si murmurat inimicus, reſpondebitur ei. An non licet mihi facere quod volo? Nonne oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus? Si tu jure humiliatus es pro eo, quòd adverſum me exaltare te voluiſti, nonne qui ſe humiliant propter me, merito ſunt exaltandi? Et verè, Fratres, ſi miſerrimus ille è cœlo deiectus eſt, quoniam affectavit celſitudinem, altitudinem concupivit, ſublilitatem præſumpſit, nonne conſequens eſt beatos eſſe, qui ſponte in paupertatis humilitatem ſeſe deponunt: & juxta Domini promiſſionem *ipſorum eſt regnum cœlorum*, quod perdidit iſte? Et attende quam ſapienter ordinaverit ſapientia, contra peccatum primum, remedium primum opponens. Ac ſi apertius dicat: Viſ obtinere cœlum quod perdidit ſuperbiens Angelus, qui conſiſus eſt in virtute ſua, & in multitudiſne divitiarum ſuarum? Paupertatis vilitatem amplectere, & tuum erit. Sequitur:

*Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.* Benè, optimè. Sic enim oportebat (commendatâ paupertate) etiam manſuetudinem prædicari: quoniam relinquentibus omnia, prima ſolet eſſe tentatio de moleſtiis corporis, & afflictione carnis inſolita. Quid verò paupertas proderit, ſi (quod abſit) pauper in murmuratiõnem deveniat, factus exaſperans, & impatiens diſciplinæ? Optimè quoque poſt regni promiſſionem minus aliud regnum velut in artham datur, ut ſecundum ſcripturam *¶ promiſſionem habeamus vita eius quæ nunc eſt, pariter & futura*, & de exhibitione præſentium, firma ſit expectatio futurorum. *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.* Hanc ergo terram corpus noſtrum intelligo. Quod ſi poſſidere vult anima, ſi regnare deſiderat ſuper membra ſua, neceſſe eſt ut ſit ipſa mitis, & ſuperiori ſuo ſubjecta, quoniam tale inveniet inferius ſuum, qualem ſe exhibuit ſuperiori. Armatur enim creatura ad ulciſcendam ſui iniuriam Creatoris. Et ideo noverit anima quæ rebellem ſibi invenit carnem ſuam, ſe quoque minus, quam oporteat ſuperioribus poſteſtatibus eſſe ſubjectam. Manſueſcat ipſa, & humilietur ſub potenti manu DEI altiffimi, ſubjecta ſit DEO, & his pariter quibus vice eius habet obedire Prælatiſ: & continuo corpus ſuum inveniet obediens & ſubjectum. Veritas enim eſt quæ loquitur. *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.* Et vide ſi non adverſus ſecundi peccati vulnus ſecunda proceſſerit medicina. Prima quidem poſt angelicæ prævaricationis ruiſnam Eva peccavit, inquietudine ſpiritus agitata, & interdicti dominici jugum ſuave, & leve onus abjiciens: quoniam expectare noluit, ut de manu Domini, unde jam cætera acceperat, perfectionem quoque beatitudinis mereretur, ſed præripere illam Serpentis conſilio attentavit. Propter

*Beati mites.*

*Pauper murmurâs & impatiens huius beatit. expers. ¶ 1. Tim. 4.*

*Per terram corpus intelligit.*

*Eva præpoſtere beatitudinem ambiens, amiſit.*

pter hoc paradifum perdidit, terram deliciarum : propter hoc in ipfo corpore contrariam legem invenit. Sed jam fortassis ad hanc Domini vocem desiderio mansuetudinis æftuas, & conquereris super asperitate cordis tui, & belluinis quibusdam motibus, atque indomita feritate. Attende ergo quod fequitur.

*Beati qui lugent.*

*Lugendi copiofa materia.*

Eccli. 7. a

*Eva post tristem lapfum perversa confolatio.*

Eccli. 24. c  
Matt. 5. a\*

*Beati qui efuriunt ac fitiunt iuftitiam.*

*Beati qui lugent, quoniam ipfi confolabuntur.* Equum indomitum flagella domant, animam immitem contritio fpiritus, & affiduitas lacrymarum. Ergo in omnibus operibus tuis memorare noviffima tua, mortis horrorem, iudicii tremendum difcrimen, ardentis gehennæ metum ab oculis cordis tui elongari nullatenus patiaris. Cogita peregrinationis tuæ miferiam, recogita annos tuos in amaritudine animæ tuæ : cogita vitæ humanæ pericula, cogita fragilitatem propriam ; & in huiusmodi cogitatione fi perfeveraveris dico tibi, parum senties, quicquid foris videtur efle moleftum, dum toto corde circa interiorem moleftiam occuparis. Sed nec patietur Dominus fine confolatione te efle, quoniam pater mifericordiarum eft, & DEUS totius confolationis, & complebitur omnino quod veritas pollicetur : *Beati qui lugent, quoniam ipfi confolabuntur.* Concordat autem huic fententiæ, etiam illud quod in Salomone legifti : *Melius eft ire ad domum luctus, quam ad domum convivii.* Propterea beata efles Eva fi poft culpam confolationem quæreres lachrymarum, & converfa ad pœnitentiam veniam citius obtineres. Nunc autem miferriam quælifti confolationem de fimili cafu viri tui, & veneno peffimo, nequiffimo, videlicet vitio totam infecifti pofteritatem tuam : ut ufque hodie perditionem alterius, alter fuam reputet confolationem. Mifera prorfus Evæ confolatio, & eorum qui miferiam hanc imitantur : fed *Beati qui lugent, quoniam ipfi confolabuntur.* Verum quid aliud eft hæc confolatio, quàm procedens de fpe veniæ gratia devotionis, & fuaviffima delectatio boni, & gultus fapientiæ licet exiguus, quibus interim benignus Dominus afflictam refrigerat animam ? Sed gultus ille nihil aliud eft, quàm irritamentum defiderii, & incentivum amoris : ficut fcriptum eft : *Qui edunt me, adhuc efurient ; & qui bibunt me, adhuc fitient.* Propterea illicò fubinfertur.

*Beati qui efuriunt & fitiunt iuftitiam, quoniam ipfi faturabuntur.* Qui efurit, efuriat amplius : & qui defiderat, abundantius adhuc defideret : quoniam quantumcunque defiderare potuerit, tantum eft accepturus. Imò verò non fecundum imperfectionem modumve defiderii, quoniam qui donec perfecte habeat, perfecte defiderare non potest : fed nec & perfecte habere, donec perfecte defideret : fed mefuram accepturus eft bonam, & conferam, & coagitatam, & fupereffluentem. *Beati qui efuriunt & fitiunt*

In Feste omnium Sanctorum, Sermo I. 401

*& sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Infirmiori palato cordis, & animæ languenti adhuc dura & insipida res videtur esse iustitia : sed qui gustaverunt, ecce ipsi sciunt, quàm beati sunt, qui esuriunt illam, *quoniam ipsi saturabuntur!* O vere felix & gloriosa satietas! ô sanctum convivium! ô desiderabiles epulæ! ubi nimirum anxietas nulla, nullum poterit esse fastidium, quoniam satietas summa, & summum inerit desiderium, *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Jam verò hoc verbum adversus Adam procedere credo, qui portionem quidem aliquam videtur tenuisse iustitiæ, in eo quòd mulieri quidem compassus est: sed si esurisset iustitiam, curasset sine dubio reddere quod debebat non modo uxori, sed multò magis Creatori. Debebat enim uxori compassionem utique & disciplinam tanquam inferiori. Caput enim mulieris vir<sup>s</sup>. Debebat autem DEO obedientiam atque subjectionem. Sed quid putamus Fratres, quàm plurimi usque hodie factum illud graviter dijudicant, & tamen insipienter imitantur? Indignantur adversus Adam quòd obedierit voci uxoris suæ plusquàm Dei, & ipsi quotidie Evam suam, carnem videlicet audiunt plusquam Deum. Fratres, si modo præsentem videremus Adam in eo articulo positum, ascendentibus cogitationibus in cor eius, coarctari inter precem uxoris, & præceptum Creatoris; nonne clamaremus adversus illum, dicentes; Cave tibi miser, vide ne feceris, seducta est mulier, non acquiescas ei? Ut quid ergò quoties apprehendit nos tentatio similis, non persuademus similiter nobis ipsis? *Beati enim qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Sed quid potest esse omnis iustitia nostra coram Deo? Nonne juxta Prophetam<sup>m</sup> *velut pannus menstruatus* reputabitur: & si districtè iudicetur, injusta invenietur omnis iustitia nostra, & minus habens? quid ergò de peccatis erit, quando ne ipsa quidem pro se poterit respondere iustitia? Propterea obnixè cum Propheta clamantes<sup>x</sup>: *Non intres in iudicium cum servo tuo Domine:* tota humilitate ad misericordiam recurramus, quæ sola potest salvare animas nostras, & sollicitè pensemus quod sequitur:

*Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Et attende. Quemadmodum Zachæus breviter uno verbo utrumque complectitur dicens<sup>s</sup>: *Dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quempiam defraudavi, reddo quadruplum.* Vides quantum esurivit iste iustitiam: cui non suffecit æqua mensura reddere, nisi reddat quadruplum. Misericordia quoque magna est, quòd dimidium bonorum suorum dat pauperibus. Veruntamen non filebo ego quod sentio. Laudem Domini loquetur os meum: Domini planè, non vestram. Neque enim vobis, sed nomini eius do gloriam. Zachæus certè cuius laus est in Evangelio dimidium bonorum suorum

*Adamo defuit vera esurians iustitiæ; alias Deum potius quam uxorem audisset. Ephes. 5. Adami imitatores etiam hodie plurimi.*

*Isa. 64. b*

*x Pf. 142. a\**

*Beati misericordes.*

*y Luc. 19. b*

*Zachæi iustitia & misericordia.*

7 Matt. 19. d

*Adæ inhu-  
manitas erga  
uxorem.*

a Gen. 3. b

*Aliena pec-  
cata non pa-  
randa, sed  
porianda.*

*Beati mundo  
corde.*

*Mundandus  
oculus quo vi-  
dendus est*

*Deus.  
Triplex in-  
quinatio men-  
tis.*

*Oratio reme-  
dium contra  
pravos motus  
concupiscentiæ;*

fuorum dedit pauperibus : sed ego multos Zachæos hic video , qui nihil sibi ex omnibus reliquere. Quis mihi scribet hoc Evangelium de Zachæis istis, imò de Petris istis quis fiducialiter loquatur Domino  $\tilde{\text{r}}$ . *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te?* Sed scriptum est jam in Evangelio æterno, in libro vitæ scriptum est & signatum. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Jam vero, Fratres, Adæ crudelitatem hæc sententia tangit, qui videbatur uxoris amore peccasse. Ecce enim scimus ô Adam, quia os de ossibus tuis, & caro de carne tua est, & eius amore peccasti. Videamus nunc quantum diligas eam. Venit Dominus igneum tenens gladium in ultionem prævaricationis, oppone te discrimini propter illam, & dic: Domine mulier infirmior est, mulier seducta est: mea est iniquitas, meum peccatum, in me solum vindicta procedat. Sed non loquitur sic: *Mulier (inquit <sup>a</sup>) quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, &c.* O perversitas! pœnam pro ea suscipere refugis, & culpam admittere non recusasti? Quomodò, prohdolor, omnia confundisti, perniciosè misericors, ubi severus esse debueras: & perniciosius crudelis, ubi misericordiam impendere oportebat? Nam delinquere propter illam nullo modo, satisfacere vero pro ea libenti animo debuisti. Sic enim oportet fieri, Fratres, ut nunquam propter alium homo peccet, quod est *justitiæ*: & libenter aliena peccata portet, quod est *misericiordiæ*. Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Sequitur:

*Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt.* Beati planè, & omnino beati qui videbunt in quem desiderant Angeli prospicere, quem videre vita æterna est. Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea: faciem tuam Domine requiram. Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? Defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea DEUS in æternum. Quando adimplebis me lætitia cum vultu tuo? Væ mihi ab immunditia cordis mei, qua impediente necdum mereor ad beatam illam visionem admitti. Quanta sollicitudine, Fratres, quanto studio danda est opera ut mundari possit oculus, quo videndus est Deus? Et ego quidem triplici sorde inquinari me sentio, concupiscentiâ carnis, & concupiscentiâ gloriæ temporalis, & præteritorum conscientia delictorum. Sunt enim in anima motus quidam utrorumque desideriorum, quos nec ratione, nec viribus extinguere possum, quandiu sum in hoc seculo nequam, & in corpore mortis teneor alligatus. Attamen contra sordes istas *Orationis* oppono remedium, & propterea sicut oculi servorum in manibus Dominorum suorum, ita oculi nostri ad Dominum DEUM nostrum, donec misereatur nostri: qui solus mundus est, & potest facere

In Feste omnium Sanctorum, Sermo I. 403

test facere mundum de immundo conceptum semine. Sic & contra peccati conscientiam remedium *Confessionis* est institutum, & omnia in confessione lavantur. Ecce hæc sunt quæ mundant oculum cordis, Oratio & Confessio. Porro, *Beati mundo corde, quoniam ipsi DEUM videbunt.* Videbunt quidem in fine facie ad faciem: videbunt etiam nunc, sed per speculum in ænigmate, & nunc cognoscent ex parte, perfectè postea cognituri. Omnis enim in cuius conscientia clauditur adhuc peccatum vivit, aut peccata in spe, & ita sentit de Deo, tanquam si minus ei peccata displiceant: aut peccat in desperatione, immisericordem sentiens Deum. Quorum utriusque merito dicitur <sup>b</sup>: *Existimasti inique quod ero tui similis: quoniam neuter DEUM videt, sed mentitur iniquitas sibi, formans sibi idolum pro eo, quod non est ipse.* Beati verò mundo corde, quoniam ipsi soli Deum vident, soli de eo sentiunt in bonitate: sicut verè bonus est, ita ut nemo bonus sit nisi ipse. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Miseri proinde Adam & Eva, qui conversi in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis, dum confessionis mundationem fugiunt, immundo remanent corde, & à facie Domini ejiciuntur. Sequitur:

*Alii peccant in spe, alii ex desperatione.*  
<sup>b</sup> Psal. 49. d

*Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Merito filii nomine vocabuntur, qui filii opus impleverint. Ipse enim est per quem reconciliati pacem habemus ad Deum, ipse qui pacificavit in sanguine suo quæ in cælis sunt, & quæ super terram, mediator DEI & hominum homo CHRISTUS JESUS. Et attende quemadmodum in tribus quidem prioribus sibi ipsi reconciliatur anima, in duobus quæ sequuntur proximo, in sexto Deo. In septimo etiam alios reconciliat, tanquam receptus in gratiam Domini, & felici familiaritate donatus. Nam paupertate, & mansuetudine, fletu renovatur in anima similitudo quædã & imago æternitatis omnia tempora complectentis, dum *paupertate* futura meretur, *mansuetudine* sibi præsentia vendicat, *luctu* pœnitentiæ præterita quoque recuperat, sicut scriptum est <sup>c</sup>: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine anime meæ.* Porro, *justitia & misericordia* perfectè proximo cohæremus, dum quicquid nolumus nobis fieri, aliis non faciamus per justitiam: & quæcunque volumus ut faciant nobis homines, & nos faciamus illis per misericordiam. Jam reconciliati nobis, reconciliati etiam proximo, fiducialiter per *munditiam* cordis reconciliamur DEO. Beati verò, qui de sua reconciliatione non ingrati, & pro fratribus suis piè solliciti, eos quoque quantum prævalent, & sibi DEO reconciliare laborant. Quibus enim laudibus dignum, quanto amplectendum putas affectu fratrem illum, qui sine querela conversans inter fratres, tota

<sup>c</sup>  
*Beati pacifici.*

<sup>c</sup> Esai. 38. c

*Sermones S. Bernardi.*

E e e

solicitu-

d 2. Cor. II.

g

e Matt. 5. a

folicitudine cavet, ne quid in eo sit quod ab aliis portari oporteat: quicquid in aliis est onerosum, patientissimè portat, singulorum scandala sua reputat: qui cum Apostolo loquitur <sup>d</sup>. *Quis scandalizatur, & ego non uror? quis infirmatur, & ego non infirmor? Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* <sup>e</sup>. Non est enim DEUS dissensionis, sed pacis: ideòque filios pacis, Dei quoque filios dignum est appellari.

Beati qui persecutionem patiuntur.

Iam quæ sequitur octava Beatitudo, Martyrum est prærogativa: cuius nobis tolerantia nec tempus videtur esse nec virtus. Honoratur nunc iustitia magis quantum in facie est: aut nulli, aut pauci pro ea sustinent persecutionem. Felices tamen si qui sunt, quoniam ipsorum est regnū cœlorum, ut eos nemo persequatur. Quòd si multiplex fuerit tribulatio, tunc multiplicius exultandum, non intuentibus quæ videntur incommoda; sed præmia, quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna. *Beati, inquit, eritis cum vos oderint homines, & cum separaverint vos, & ejecerint, & dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me. Gaudete in illa die, & exultate: ecce enim merces vestra copiosa est in cœlis, copiosior longè quam sit labor in terris.* Veruntamen quid sibi vult quòd eadem promissio facta est Pauperibus & Martyribus, nisi quia verè martyrii genus paupertas voluntaria est? *Beatus vir, ait Propheta* <sup>f</sup>: *qui post aurum non abiit, nec speravit in thesauris pecunie, Quis est hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua.* Quid mirabilius, aut quòd Martyrium gravius est, quàm inter epulas esurire, inter vestes multas & preciosas algere, paupertate premi inter divitias, quas offert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat noster iste appetitus? An non meritò coronabitur, qui sic certaverit, mundum abiciens promittentem, irridens inimicum tentantem, (& quòd gloriosius est) de semetipso triumphans, & crucifigens concupiscentiam prurientem? Denique propterea pauperibus pariter, & Martyribus regnum cœlorum promittitur, quia paupertate quidem emitur; sed in passione pro Christo absque omni dilatione percipitur.

Pauperibus & martyribus eadem promissio facta. f Eccli. 31. a Paupertas voluntaria quòd idam Martyrium.

## IN FESTO OMNIUM SANCTORUM

## S E R M O II.

Quia Sanctorum omnium festivam hodie, dilectissimi, omnique dignissimam devotione memoriam celebramus, operæ precium puto de communi eorum felicitate, in qua beata jam requie perfruuntur, & futura quam præstolantur consummatione, adjuvante Spiritu sancto sermonem facere charitati vestræ, ita sanè, ut non opinionis propriæ conjecturas

In Festo omnium Sanctorum, Sermo II. 405

curas, sed divinarum librorum sequar auctoritatem, ne, prophetare videar de corde meo, sed innitar quoad potero testimoniis Scripturarum. Erit enim præstante Domino triplex sermonis utilitas, quatenus agnita vel ex parte aliqua, felici retributione Sanctorum, abundantiori deinceps sollicitudine ipsorum inhærere vestigiis; ac ferventiori desiderio ad eorum suspirare consortia; propensiori quoque devotione eorundem nos commendare patrociniis studeamus. Fidelis quippe sermo, & omni acceptione dignus, ut quos solemniter veneratione prosequimur, etiam simili conversatione sequamur: quos beatissimos prædicamus, ad eorum beatitudinem tota aviditate curramus: quorum delectamur præconiis, sublevemur eorum patrociniis. Nec sanè parum fructuosa invenitur memoria festiva Sanctorum, languorem, teporem, erroremque depellens, cum eorum intercessione juvetur infirmitas nostra, consideratione beatitudinis excitetur negligentia nostra; ignorantia quoque nostra ipsorum erudiatur exemplis. Propterea cum perfecte eruditos vos ad imitanda Sanctorum vestigia, hodierna sancti Evangelii lectione, & ipsius Domini sermone non dubitem, erecta nimirum ante oculos vestros scala per quam universus (quem hodie veneramus) Sanctorum chorus ascendit: nec ignorem implorandis eorum suffragiis totum paulominus noctis & diei huius religiosa devotione tempus expensum, jam de eorum felicitate loqui vel exiguum aliquid attentabo, quod donaverit ipse, qui eos & magnificat jam & glorificat, quos vocavit prius atque justificavit.

Vtilitas præsentis sermonis.

Festa Sanctorum quæ fructuose celebrantur.

Legimus in Propheta <sup>a</sup>: *Convertere anima mea in requiem tuam, a* Psal. 114. b *quia Dominus benefecit tibi, quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapsu.* Et in alio Psalmo <sup>b</sup>: *Anima mea sicut passer erepta est de laqueo venantium.* Multa quoque similia in divinarum reperisse mihi videor serie scripturarum verba hominum, qui liberatos se esse non sine multa admiratione lætantur, verba perfectæ securitatis, & felicitatis immensæ, vocem gratiarum actionis & lætitiæ, quam pro meo sapere his qui luteas adhuc domos inhabitant, & in sudore vultus sui comedunt panem suum omninò non arbitror convenire. Quis enim eorum gloriabitur castum se habere cor? Quis audeat gloriari contritum esse laqueum, liberatos pedes à lapsu, reclamante nimirum Apostolo, & dicente: *Qui stat, videat ne cadat?* Unde & de semetipso; *Infelix, inquit ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Et alio in loco: *Fratres, inquit, ego me non arbitror comprehendisse. Vnum autem, quæ retro sunt oblitus, & in ea quæ ante me sunt extentus, sequor ad palmam, &c.* Itemque ego, ait, sic curro non quasi in incertum, sic pugno non quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum, & servituti subijcio; ne fortè cum aliis prædicaverim,

In hac vita nõ datur perfecta securitas, aut plena felicitas.

1. Cor. 10. c  
d Rom. 7. d  
e Philip. 3. a

f 1. Cor. 9. d

*ipse reprobus efficiat.* Hæc tamen planè tuba militiæ est, hæc verba ducis strenui fortiter dimicantis. Nam superiora quidem potius triumphantis, aut certè necdum quidem triumphantis, sed cum victoria jam redeuntis de prælio, & futuram magni triumphi diem læta ac secunda conscientia præstolantis.

Quid enim loquitur reversus de prælio fortis miles, servus fidelis?  
 \*g Ps. 114. b *Convertere jam, inquit 3, anima mea in requiem tuam.* Dum enim in corpore mortis Domino militares, nulla requies erat, tum pro labore certaminis, tum pro periculo exitus adhuc incerti. Hinc excitabat tumultus tentationum, inde succumbendi metus gravius sollicitabat. Habebat tamen, Fratres, & tunc gloriam miles Christi, licet & requiem non haberet. Ait siquidem strenuus ille & fortis miles, cuius & paulo ante fecimus mentionem: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientia nostra* <sup>b</sup>. Quod conscientia testimonium non sic intelligendum puto, tanquam ipsa sibi conscientia attestetur. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat <sup>2</sup>. Est ergo testimonium conscientia in quo gloriatur Apostolus, non quod perhibet conscientia, sed quod loquitur Spiritus veritatis in ipsa, testimonium perhibens spiritui nostro quod filii Dei sumus. Est enim testimonium conscientia non perhibentis, sed percipientis. Cum enim veritas applaudit, cum iustitia attestatur, Dei sine dubio commendantis vox est, & Spiritus sancti testimonium perhibentis, ac si decertanti viriliter militi rex suus, pro cuius amore & honore decertat, prope assistens lætus applaudit, laudet fortia facta, proximam clamitet esse victoriam, parata jam præmia, & coronam polliceatur æternam. In quo testimonio gloriatur siquidem probatus & strenuus miles, minimè tamen quiescit, sed tanto acrius viriliusq; decertat.

Itaque dum adhuc militant, gaudent utique electi Dei, sed tantum de primitiis spiritus, qui & infirmitatem eorum adjuvat virtute sua, & pusillanimitatem sua consolatur attestazione. Unde & is (de quo loquebamur) Apostolus. *Non est, inquit k, regnum Dei esca, & potus, sed iustitia, & pax & gaudium in spiritu sancto.* Jam verò consummato militiæ tempore gaudium habent Sancti etiam in spiritu suo, donec adveniet dies illa, qua introire mereantur in gaudium Domini sui, gaudium habituri & in ipso corpore suo. Sic habemus in psalmo <sup>l</sup>: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti latitiam in corde meo.* Unde? Planè ex his quæ sequuntur: *A fructu frumenti, vini & olei sui.* Audivit enim eiusmodi anima vocem dicentis <sup>m</sup>: *Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera eius.* Unde & Joannes scribere jubetur in Apocalypsi, quo-

2. Cor. 10.  
 Quod testimonium conscientia ab Apost. predicatum.

Rom. 14. c

Psal. 4. b

Prov. 31. b

Apoc. 14.

In Festo omnium Sanctorum, Sermo II. 407

quoniam beati mortui qui in Domino moriuntur. Quare beati? *A modo enim jam dicit spiritus, ut requiescant à laboribus suis.* Unde & in ipso de quo paulò antè loquebamur psalmo <sup>o</sup>, eis quæ supra posuimus verbis adjunctum est: *In pace in idipsum, dormiam & requiescam.* Et de operibus habemus in Apocalypsi <sup>P</sup>: *Opera enim illorum sequuntur illos.* Ad quid verò sequuntur, nisi ut laudent eos in portis? Ad quid sequuntur, nisi ut multiplicentur à fructu eorum, & accipientes de fructu manuum suarum saginentur vituli quos ex Prophetico testimonio <sup>7</sup> cum reedificabuntur muri Hierusalem, super altare Domini novimus imponendos? Interim quippe sub altari eos esse, & non supra, ipse nos doceat, cuius testimonium credibile factum est nimis qui (ut scribit in Apocalypsi) sub altari ipso eorum etiam voces audivit <sup>r</sup>. Adhuc ergo signatum est super eos lumen vultus Dominici, & licet non plenam, habent tamen lætitiā multam in corde suo, donec veniat dies illa qua implebit eos lætitiā cum vultu suo. Interim, inquam, convertantur animæ illæ in requiem suam, donec veniat dies, qua introire mereantur in requiem Domini. Adhuc laudant eas in portis opera sua, donec veniat cum erit unicuique laus à DEO. Videtis, Fratres quanta est unitas scripturarum, quàm uno sensu & eidem penè verbis de beatitudine loquantur animarum?

o Psal. 4. b  
p Apoc. 13. c  
q Psal. 50.  
r Apoc. 6. e  
Sancti ante  
generalem re-  
surrect. nec-  
dum plenè be-  
ati. j

Jam vero nemo ex vobis parvam aliquam requiem, aut lætitiā suspicetur eorum qui ab omni penitus molestia liberi recogitant annos suos in dulcedine animæ suæ: lætantur pro diebus quibus humiliati sunt, annis quibus viderunt mala; cum jucunda admiratione, & mira jucunditate considerant pericula quæ evaserunt, labores quos pertulerunt, certamina quæ vicerunt, & pro his omnibus certa & indubitata fide expectant beatam spem, & adventum gloriæ magni DEI & Salvatoris sui, qui resuscitabit corpora eorum configurata proprii corporis claritati.

Beatarum animarum triplex gaudium.  
1. De certa expectatione futura consummationis.  
2. De exhibitione presentis quietis.  
r Psal. 114. b

Quanta est fœlicitas eorum, quam immensa lætitiā, qui nimirum triplici gaudio de recordatione transactæ virtutis, de exhibitione præsentis quietis, de certa expectatione futuræ consummationis exultant? Nam de futura illa consummatione habemus vocem eorum in fine eius psalmi de quo superius loquebamur. Dicunt enim singulæ animæ quibus jam datum est ad hanc requiem pervenire <sup>s</sup>: *In pace in idipsum dormiam & requiescam, quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.* Singulariter inquam, in spe, non jam inter spem & metum, ubi prius non sine sollicitudine & anxietate plurima fluctuabam. Sic & de præsentis Sanctorum requie habemus in alio psalmo <sup>t</sup> scriptum: *Converte anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi.* Bene inquam fecit,

Ecc 3 quamvis

Conscientia  
munda, quie-  
ta, secunda  
suaviff. ani-  
ma stratum.

quamvis necdum optimè. Denique audi quàm bene: *Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapsu*: id est, à peccato omni, & à peccati pœna, à timore quoque & à periculo recidendi penitus liberavit. Hoc est suavissimum animæ stratum, quod nullis jam lavet aut riget lachrymis, quando absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eius. Hoc cubile in quo jam non compungitur, nec convertitur in ærumna sua, dum configitur spina. Exiit enim de terra illa, quæ spinas ei, & tribulos germinabat. Hoc planè stratum animæ, quod minimè jam versatur in infirmitate eius: quoniam universa quæ infirmitatis erant, pariter transferunt. Hæc est, inquam, animæ suavissima & saluberrima requies, conscientia munda, quieta, secunda. Sit ergo beatæ animæ culcitra, conscientiæ suæ puritas, sit capitale tranquillitas, sit oportorium eius securitas: ut hoc interim strato dormiat delectabiliter, foeliciter requiescat.

3. De recordatione transactæ virtutis.

u Psal. 123. a

22. Tim. 4. b

Jam verò de recordatione transactæ virtutis habes in psalmo manifestè verba eorum, quæ superius quoque commemoravi. Considerant enim & multa cum admiratione recogitant à quibus laqueis quantivise periculis divino meruerint auxilio liberari, & exultantes in Domino dicunt: *Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel, nisi quia Dominus erat in nobis: cum exurgerent homines in nos, forte viros deglutissent nos. Torrentem pertransiit anima nostra, forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.* Et addunt: *Benedictus Dominus qui non dedit nos in captivum dentibus eorum.* Sed & verba quæ jam tempore suæ resolutionis instante loquebatur Apostolus, de eo in quo nunc foeliciter requiescit statu præsumpta, videntur & nunc ei multo melius convenire: nunc enim jam secure loquitur: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: de reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illum diem justus iudex.* Hæc sunt dico vobis, Fratres, hæc modo sunt universa Sanctorum negocia, hic cibus, hic somnus eorum: & propterea voluit Spiritus sanctus scribi verba ea quæ protulimus, cæteraque similia, ut ex his aliquatenus innotesceret nobis status eorum.

2 Psal. 30. c

Longè aliter tamen afficiuntur in huiusmodi meditationibus, & multo amplius delectantur quam nostra aut cogitatio capere, aut explicare queat oratio. Audi enim quomodo laborat Propheta inculcans, & multiplicans verba, nec tamen sic digne magnificare valens quod intendit. *Quàm magna, Domine, inquit, multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus in te! Quid tamen addidit? Perfecisti, inquit, eis qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum.* Est ergo multitudo dulcedinis quæ abscondita est, magna quidem. & magna valdè, necdum tamen perfecta:

## In Festo omnium Sanctorum, Sermo III. 409

perfecta : quoniam in manifesto perficietur, non in abscondito, quando non sub altari requiescent Sancti, sed super thronos tanquam iudices residuebunt. Ad requiem enim exuta à corporibus animæ sanctæ protinus admittuntur, ad plenam autem gloriam regni non ita. *Me expectant iusti* (ait Propheta & cum adhuc detineretur in custodia corporis huius) *donec retribuas mihi.* Et vox divina ad animas sanctas corporum suorum resurrectionem flagitantes. *Sustinete modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum vestrorum* <sup>a</sup>. Sed jam sermo claudendus est : vocant enim nos missarum adhuc celebranda solennia. Quod ergo restat adhuc de eadem materia, sermoni alteri reservemus.

Psal. 141. b

a Apoc. 6. c

### IN FESTO OMNIUM SANCTORUM S E R M O III.

**A**dvertistis, nisi fallor, ex his quæ præcedente sermone sunt dicta, tres esse sanctarum status animarum. *Primum* videlicet in corpore corruptibili, *secundum* sine corpore, *tertium* in beatitudine consummata. *Primum* denique in tabernaculis, *secundum* in atriis, *tertium* in domo Dei. *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum* : multò magis tamen atria concupiscibilia, *secundum* quod addit <sup>a</sup>. *Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* Sed quoniam in ipsis quoque atriis nonnullus (ut audis) defectus est, *beati omninò qui habitant in domo tua Domine.* Lætatus sum planè in his quæ dicta sunt mihi, Fratres, quoniam in domum Domini ibimus. Quòd si quæritis unde id tam fiducialiter præsumam, inde sine dubio, quòd jam multi ex nobis in atriis stent expectantes donec recipiant corpora sua, donec impleatur numerus fratrum. In illam enim beatissimam domum nec sine nobis intrabunt, nec sine corporibus suis : id est, nec Sancti sine plebe, nec spiritus sine carne. Neque enim præstari decet integram beatitudinem, donec sit homo integer cui detur, nec perfectione donari Ecclesiam imperfectam. Propterea cum resurrectionem expeterent corporum, sicut priore sermone jam diximus, acceperunt divinum responsum dicens <sup>b</sup> : *Sustinete modicum tempus donec impleatur numerus fratrum vestrorum.* Acceperunt jam singulas stolas, sed non vestientur duplicibus donec vestiamur & nos : quomodò de Patriarchis & de Prophetis ait Apostolus <sup>c</sup> : *Deo melius aliquid providente pro nobis, ut non sine nobis consummarentur.* Stola enim prima ipsa est quam diximus sclicitas & requies animarum, secunda vero immortalitas & gloria corporum. Unde & dicunt <sup>d</sup> : *Vindica Domine sanguinem sanctorum tuorum qui effusus est* : non tanquam vindictæ cupidi, nec de propria

Tres animarum  
sanctarum sta-  
tus.

a Ps. 83. a

Plena & consummata  
sanctorum sclicitas usque ad  
resurrectionem  
generalem deferenda.

\*Apoc. 6. c

c Hebr. 11. g

d Apoc. 6. c

priæ ultionis zelo, sed ex desiderio resurrectionis, & glorificationis corporum suorum, quam nimirum usque in diem judicij differendam esse non dubitant.

Sed unde hoc tibi ô misera caro, ô fœda, ô fœtida, unde tibi hoc?

*Anima separata ob desiderium naturale ad corpora minus libere & perfecte feruntur in Deum.*

*e Apoc. 14. a \* Ecclesia militans non est sine macula & ruga.*

*f Job. 7. a.*

*g Psal. 14. a.*

*Deo quomodo etiam mala placeant.*

Animæ sanctæ quas propria Deus insignivit imagine, te desiderant: quas redemit proprio sanguine, te expectant: & ipsarum sine te compleri lætitia, perfici gloria, consummari beatitudo non potest. Adeo siquidem viget in eis desiderium hoc naturale, ut necdum tota eorum affectio libere pergat in Deum, sed contrahatur quodammodo, & rugam faciat dum inclinantur desiderio tui. Unde & beatus Joannes qui multa nobis de eo statu, in quo feliciter beatæ animæ requiescunt, per spiritum referavit; *Sine macula*, inquit <sup>e</sup>, *sunt ante thronum Dei. Sine macula*, inquam sed necdum sine ruga; donec veniat dies cum sibi gloriosam Christus exhibebit Ecclesiam non habentem maculam neque rugam. In his namque qui adhuc militant, nec sine macula quidem Ecclesia est: quoniam nemo mundus à sorde, nec infans cujus est unus dñi vita super terram, quam utique vitam beatus Job militiam esse testatur <sup>f</sup>. In his vero qui sub altari Domini requiescunt, jam quidem sine macula est Ecclesia, sicut habes in Psalmo <sup>g</sup>. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur*, inquit, *sine macula*. Hic ergo requiescet in monte Domini qui ingreditur sine macula: qui vero fuerit sine ruga, exaltabitur supra montem. Sed si vis scire quando erunt sine ruga animæ sanctæ, quandò extendentur cœli sicut pellicis, quæ dilatatur penitus, ut nec minima quidem ruga inveniatur in ea: tunc sine dubio quando jam sequentur Agnum quocunque jert. Verè enim extendi & dilatari necesse est animas, quibus ubique sequendus est Agnus. Quò enim vadit? Attingit profecto à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.

Vis adhuc nosse quò eat Agnus, & quo necesse habeant beatæ animæ sequi eum? In omnibus requiem quæsi. Hæc est planè requies Domini non intercisa, non circa aliquid certum restricta: quoniam in omnibus gaudet, in omnibus delectatur, in omnibus requiem quærit & invenit. Nam & bona ei placeant in seipsis & delectatur nihilominus bona ordinatione malorum. Diligit misericordiam & judicium: nec modò in bonorum gloria sibi complacent, sed in ipsis quoque utpote justis suppliciis impiorum. Quid ergo? Putasne poterit humana anima in hoc gaudium Domini sui, & in hæc ejus requiem intrare, ut & ipsa quoque in omnibus delectetur? nec aliqua iam privata affectione contrahatur in rugam, sed transeat in affectum quandam generalem atque divinum.

In Festo omnium Sanctorum, Sermo III. 411

divinum? Poterit sine dubio, si fidelis inveniatur super pauca quæ accepit militiae suæ tempore, id est, super artus, super sensus, super appetitus suos quos suscepit regendos, ut in his probetur quàm fidelis sit Domino suo. Sciatur igitur servus Christi vas suum possidere in sanctificatione, glorificet & portet Deum in corpore suo: nec dubium quin fidelem in modico servum supra multa constituat Dominus liberalis & dives. Supra multa planè, quando constituat eum Dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ. Neque id vobis incredibile videatur, fratres, tanquam à me ipso id loquar, quoniam veritas ipsa manifestè id pollicetur, cuius de promissione omnino dubitare non licet. *Beatus, ait h, servus ille quem cum venerit Dominus eius, invenerit sic facientem. Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituat eum.* Tunc enim fidelis servus constituitur super omnia bona Domini sui, cum in gaudium eius meretur intrare, & cum eo deinceps lætari in universis, in cunctis gaudere, in omnibus delectari. Etenim, *qui adhæret DEO (Apostolo teste i) unus cum eo spiritus efficitur, & voluntas eius omnino divinæ adhærens voluntati fit una cum ea, ut nihil jam quod contra eam sit, inveniatur in omnibus creaturis, sed universa fiant, vel magis maneant pro eius arbitrio.*

Hæc est ergo beata spes quam expectant animæ sanctæ: & licet in gratiarum actione versentur pro ea sælicitate in qua requiescunt, adhuc tamen orant & clamant ad DEUM pro ea consummatione quam præstantur. Unde quemadmodum sine macula quidem vetustatis, sed non sine ruga contractionis eas diximus esse: sic ad gratiarum actionem jam pervenisse videntur, sed necdum ad vocem laudis, quoniam perfectum perfectos laudare decet, ut laudetur cum hæreditate sua: quando jam & ipsi laudabunt eum, & erit unicuique laus à Deo. Unde & Propheta significanter futuri temporis verbo usus videtur: *Beati, inquit, qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te.* Nam & beatus Joannes in Apocalypsi non vocem laudis, sed potius vocem precis audivit. Sic enim habes l: *Sub altari Dei audivi voces occisorum, Quas voces? Vindica Domine sanguinem sanctorum tuorum qui effusus est.* Vox precis, non laudis est ista. Sed quousque à longè circundamus altare istud, & veremur accedere? Desiderat, nisi fallor, charitas vestra audire Sacramentum altaris huius, & sacrum secretumque nosse mysterium. Sed quis ego sum qui Sanctorum cubiculum facile audeam temerarius percrutator irrumperere? Quasi verò non legerim m scrutatorem maiestatis opprimendum à gloria. Veruntamen pausemus hic si placet hodie, si fortè pulsantibus nobis aperire dignentur mysterium altaris illius inhabitrices

Sermones S. Bernardi.

FFF

animæ

*Quis fidelis servus.*

*h Matt. 24. d*

*i 1. Cor. 6. d*

*Anime sanctæ orant pro consummatione.*

*Vox laudis nec dum eis competit. k Plal. 83. a*

*l Apoc. 6. c*

*m Prov. 25.*

animæ sanctæ, non nostro merito sanè, sed propter eum qui dilexit nos & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo, agnoscentes & nos inter cives & domesticos Dei, nec tanquam hospites & advenas à secreta illa habitatione censeant propulsandos.

I N S O L E M N I T A T E O M N I U M  
S A N C T O R U M

S E R M O I V.

• Apoc. 6. c  
† Serm. 2.

Altare Dei,  
de quo S. Io-  
an. in Apoc.  
quodnam.  
b Luc. 16. c  
c Job. 14. c

Quisnam fi-  
nus Abrahæ  
de quo in E-  
ra 19.

d Job, 10.

Christus des-  
cendens ad in-  
feros quide-  
gerit.

Cum de Altari illo cœlesti sub quo beatus Joannes Sanctorum voces audivit <sup>a</sup>, sermo incidisset <sup>†</sup>, distulimus (sicut meminisse arbitror charitatem vestram) ut oratione præmissa securior nobis ad tam sacrum secretumve cubiculum pateret accessus. Tempus est, ut jam dicamus quod de eo nobis sentire datum est, sine præjudicio sanè, si cui fortè aliter fuerit revelatum. Illud ergò primum movere potest, quid sibi velit quòd beatus Joannes sub altari Dei audisse se perhibet sanctarum voces animarum, cum Salvator in Evangelio <sup>b</sup> de Lazari anima loquens, non sub Altari Dei, sed in *Sinum Abrahæ* dicat eam ab Angelis deportatam. Nam & sanctus Job, ut apparet, nequaquam ad altare Dei ausus est aspirare, cum diceret <sup>c</sup>: *Quis mihi hoc tribuat ut in inferno protegas me, & abscondas me donec pertransseat furor tuus, & constituas mihi tempus in quo recorderis mei?* Sed jam venerat tempus, Fratres, illud quod beatus Job postulabat, jam recordandi tempus, jam venerat tempus miserendi, quando Sanctorum voces sub altari Dei beatus Joannes audivit. Donec enim veniret desideratus ille qui sanguine suo deleteret chirographum damnationis nostræ, & flammeum accingens gladium aperiret credentibus regna cœlorum, nullus omninò cuiquam Sanctorum ad ea patebat accessus, sed providerat eis Dominus in inferno ipso locum quietis & refrigerii, chaos magnum firmans inter sanctas illas animas, & animas impiorum: Quamvis enim utraq̃ue in tenebris essent, non utraq̃ue erant in pœnis, sed cruciabantur impii, justi verò consolabantur. Quòd autem in tenebris essent, beati Job testimonio didicimus: qui se quoque in locum tenebrosum & opertum mortis caligine perhibebat iturum <sup>d</sup>.

Hunc ergo locum obscurum quidem, sed quietum, sinum Abrahæ Dominus vocat; pro eo, ut arbitror, quod in fide & expectatione quiesceret Salvatoris. Abrahæ enim fides tam manifestè probata est & approbata, ut primus ipse futuræ Incarnationis Christi meruisset accipere promissionem. In hunc ergo locum Salvator descendens contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit, eductosque vinctos de domo carceris edentes quidem, hoc est quiescentes, sed in tenebris, & umbra mortis: jam

In Feste omnium Sanctorum, Sermo IV. 413

jam tunc quidem sub altari Dei collocavit, abscondens eos in tabernaculo suo in die malorum, & protegens eos in abscondito tabernaculi sui, donec veniat tempus, in quo procedant completo jam numero fratrum, & percipiant regnum quod eis paratum est ab origine mundi. Jam verò sicubi fortè præsens quoque sanctorum requies *Abrabæ sinus* vocatur, certum est de Evangelio hanc inolevisse consuetudinem: licet neminem oporteat dubitare longè alium hunc sinum esse quam illum, quippe cum ille in tenebris, hic in luce multa: in inferno ille fuerit, iste in cœlo. Non incongruè tamen etiam nunc dictū videtur Patriarcharum filios paternum in sinum recipi, cum ad eorum consortiū ab hoc sæculo transire meruerint.

*Præsens sanctorum requies unde appellatur quandoque sinus Abrabæ.*

Porro Altare ipsum de quo nobis habendus est sermo, ego pro meo sapere nihil aliud arbitror esse quàm corpus ipsum Domini Salvatoris. Credo autem quod & ego super hoc sensum eius habeam, præsertim cum audiam eum in Evangelio promittentem <sup>e</sup>: *Ubiunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.* Interim ergò sub Christi humanitate sceliciter Sancti quiescunt, in quam nimirum desiderant etiam Angeli ipsi prospicere, donec veniat tempus quandò jam non sub altari collocentur, sed exaltentur super altare. Sed quid dixi? Nunquid humanitatis Christi gloriam, non dicam hominum, sed vel Angelorum assequi poterit quis, nedum superare? Quonam igitur modo super altare dixerim exaltandos eos qui nunc sub altari quiescunt? Visione utique & contemplatione non prælatione. Ostendet enim nobis Filius (ut pollicitus est <sup>f</sup>) semetipsum, non in forma servi, sed in forma Dei. Ostendet etiam nobis Patrem & Spiritum sanctum sine qua nimirum visione nihil sufficeret nobis: quoniam hæc est vita æterna, ut cognoscamus Patrem verum Deum, & quem misit **JESUM CHRISTUM** <sup>g</sup>, & in eis (quod non est dubium) etiam Spiritum utriusque. Transiens quippe ministrabit nobis, novas utique & usque ad tempus illud nobis penitus inexpertas delicias manifestæ suæ contemplationis. Unde & B. Joannes in epistola sua: *Nunc inquit <sup>h</sup>, fili* <sup>h</sup> *lii Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus. Et addit: Scimus autem quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Audi denique sponsam in cantico canticorum <sup>i</sup> fiducialiter loquentem, <sup>i</sup> *Cant. 2. a\** & spe quidem jam super altare locatam: *Læva eius* (haud dubium quin sponsi) *sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me,* transcendit enim beata anima Christi Incarnationem & humanitatem, quæ nimirum *læva* eius jure vocatur: ut divinitatem eius & majestatem eius, quam non incongruè *dexteram* nominat, sublimius contempletur.

<sup>e</sup> Luc. 17. g

*NOTA novam & pulchram expositi. Altaris.*

<sup>f</sup> Ioan. 14. c

<sup>g</sup> Ioan. 17. a

<sup>h</sup> 1. Ioan. 3. a

<sup>i</sup> Cant. 2. a\*

Tripliciter enim, Fratres, in æterna illa, & perfecta beatitudine fruimur Deo, *videntes eum in omnibus creaturis, habentes eum in nobis ipsis, &*

*Dei imperfecta beatitudo.*

*dine triplex  
fruitio.*

*Æterna vitæ  
beatitudo in  
quo consistat.*

*† Psal. 147. a*

*† Luc. 6. f*

*Deus quomo-  
do videndus  
in creaturis.*

*m Rom. 1.*

*Quomodo ha-  
bendus in no-  
bismetipsis.  
Animæ hu-  
mane triplex  
vis seu natura*

quod his omnibus ineffabiliter jucundius sit atque beatius, ipsam quoque cognoscentes in semetipsa Trinitatem, & gloriam illam sine ullo ænigmate mundo cordis oculo contemplantes. In hoc enim erit vita æterna & perfecta, ut cognoscamus Patrem, & Filium cum sancto Spiritu, & videamus Deum sicuti est: id est, non modo sicut inest, nobis videlicet aut cæteris creaturis, sed sicut est in semetipso. Unde duo illa velut circumiacentia esse videntur quæ prædiximus, & quasi cortex tritici. Hæc vero cognitio summæ beatitudinis, tritici medulla, aeps frumenti, quo nimirum civitas sancta Hierusalem satiatur<sup>k</sup>. Verùm quàm magna est beatitudo illa, tam abscondita ab oculis nostris? Nec enim oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quanta claritas, quanta suavitas, quanta jucunditas maneat nos in illa cognitione, Pax Dei est illa, quæ exuperat omnem intellectum, quantò magis omnem sermonem nostrum? Quod ergo nulli datum est experiri, nullus conetur effari: *Mensuram*, ait Dominus, *plenam & confertam, & coagitatam & supereffluentem dabunt in sinus vestros.* *Plenam* universitate creaturarum, *confertam* in interiore homine nostro, *coagitatam* in exteriori, *supereffluentem* in DEO ipso. Ibi cumulus felicitatis, ibi supereminens gloria, ibi supereffluens beatitudo.

Nam quomodo videndus sit in creaturis, quomodo in nobis habendus, possumus vel ex parte conijcere, ex ipsis nimirum quas accepimus jam primitiis spiritus. Cognitio autem illa omnino adhuc nobis incognita est, mirabilis facta est, confortata est, ut non possimus ad eam. At verò quemadmodum in creaturis videndus sit possumus aliquatenus intelligere, nimirum cum & modo videatur in ipsis: unde & Philosophi (Apostolo teste<sup>m</sup>) per ea quæ facta sunt, Dei invisibilia conspexere. Verum quantumcunque proficiat quis intelligendo conspiceri, quàm potentissimè, quàm prudentissimè, quàm benignissimè maiestas æterna omnia fecerit, cuncta regat, nunc creet omnia, nunc regat, ordinet universa: prorsus modicum ab eo quod est comprehendit. Veniet autem quando jam (ut in præcedenti sermone diximus) sequemur Agnum quocunque ierit: & in omnibus consequemur creaturis, ut in omnibus gaudeamus, quod est gaudium Domini Dei nostri. Gaudeamus sanè in omnibus, sed non aliunde quàm de ipso: sicut & ipse non aliis fruitur, sed semetipso.

Jam verò quemadmodum in nobis habendus sit, & hoc vel ex parte possumus cogitare. Constat enim animarum triplicem esse naturam: unde & Sapientes mundi huius animam humanam, rationalem, irascibilem, concupiscibilem esse tradiderunt. Quam utique triplicem vim animæ ipsa quoque natura & quotidiana experimenta nos docent. Porrò quemadmodum circa *rationale* nostrum, & *scientia* & *ignorantia* constat tanquam

tanquam habitus & privatio: sic & circa *concupifcibile*, defiderium & contemptus: & circa id quod dicitur *irafcibile*, & lætitia pariter & iraversatur. Implebit ergo Deus *rationalē* nostrum luce ſapientiæ: ita ut penitus nobis nihil deſit in ulla ſapientia. Implebit *concupifcibile* noſtrum fonte juſtitiæ, ut omnino deſideremus eam, & ea penitus repleamur: ſicut ſcriptum eſt <sup>n</sup>: *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiā, quoniam ipſi ſaturabuntur.* Nulla enim alia res implere poteſt deſiderium animæ, nulla alia præter juſtitiā beatificare animam poteſt. Dum ergo repleverit Deus *concupifcibile* noſtrum juſtitiā, quicquid reſpuere debet anima reſpuet, quicquid debet concupiſcere, concupiſcet: & ex omnibus id magis appetet quod magis fuerit appetendū. Merito denique concupiſcibili noſtro juſtitiā attribuimus, ex quo nimirū, aut juſti aut injuſti reputamur. Jam vero quod dicitur in nobis *irafcibile*, cum repleverit illud Deus, perfecta erit in nobis tranquillitas, & in ſummam jucunditatem atque lætitiā replebitur pace divina. Et vide ſi non etiam in his tribus perfecta, quantum ſane ad animam ſpectat, beatitudo conſiſtat; quando ſcientia jam non inflat propter juſtitiā; jam non contriſtat propter lætitiā, ut ceſſet proverbium illud <sup>o</sup>: *Qui apponit ſcientiā, apponit & dolorem:* Eccl. 1. quoniam juſtitiā nec indiſcreta erit propter ſcientiā, nec oneroſa propter lætitiā, quando lætitiā nec inepta erit propter ſcientiā, nec impura propter juſtitiā.

*in æterna Dei viſione & beatitudine adimplenda.*

<sup>n</sup> Matt. 5. a

*Beatitudo hominis quo ad animam.*

Sed in his omnibus nihil adhuc exterior homo noſter accepit. Ipſi ergo, ut inhabitet gloria etiam in terra noſtra, & juxta alium Prophetam repleatur majeſtate Domini omnis terra, quatuor ſunt quærenda, quem nimirum conſtat ex elementis quatuor eſſe compactum. Nec mireris quod pluribus indigere videtur qui miſerior eſt, cum & in *ſalmo* legeris dicente Prophetæ <sup>1</sup>: *Sitivit in te anima mea, quā multipliciter tibi caro mea?* Habeat ergo terra noſtra *immortalitatem*, ne jam timeat de novo ſe in pulverem redigendam. Reſurgens enim corpus noſtrum jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Sed quid proderit, ſi forte contingat in æternum vivere in miſerijs & ærumnis paſſibilitatis hujus, qua nimirum inceſſanter corruptibile hoc corpus affligitur; & ſi non ſemel, utique ſemper moritur. Habeat certè etiam aliquando omnimodam *impafſibilitatem*: ab humoribus enim inordinatis cauſas ajunt procedere paſſionum. Sed jam deſiderat corpus noſtrum etiam *levitatem*, ſecundum eam nimirum quam habet ex aere portionem. Tanta itaque futura credenda eſt corporum *levitas & agilitas* beatorum, ut poſſint, ſi velint, abſque omni mora ſeu difficultate ipſam quoque cogitationum noſtrarum ſequi omnia velocitatem. Quid ultra deeſt, ad

<sup>p</sup> *ſal. 71. d*  
*Beatitudo hominis quo ad corpus.*

<sup>q</sup> *ibid. 62. a*  
*Quatuor dotes corporis gloriſicati.*

1. *immortalitas.*

2. *impafſibilitas.*

3. *agilitas.*



4. pulchritudo.

Philip. 3. e

Matt. 13. f

Matt. 15. d

perfectam corporis beatitudinem? Sola utique *pulchritudo*. Hanc perfectissimam habituri, non immerito possumus attribuere ei parti quam habemus ab igne, *Salvatorem enim expectamus* ( ut ait Apostolus ) *qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae*, exhibens quod pollicitus est, *scilicet*, *quoniam fulgebunt iusti sicut Sol in regno Patris eorum*. Sic ergo replebit animas nostras Deus, cum perfecta in eis scientia fuerit, perfecta iustitia, perfecta laetitia. Sic replebitur maiestate omnis terra, cum fuerit corpus incorruptibile, impassibile, agile, configuratum denique corpori claritatis suae. Et vide ne forte isti sint septem panes quibus quatuor hominum millia Salvator legitur satiasset, è quibus ejusdem numeri sportas plenas Apostoli reservandas sustulerunt. Nunc enim reficimur panibus istis, cum jucunda meditatione beatam spem ruminamus, donec veniat, cum jam non de spe, sed de re ipsa & exhibitione gaudentes, quasi plenas sportas recipere pro panibus singulis mereamur.

## IN FESTO OMNIUM SANCTORUM

### SERMO V.

**F**estiva nobis est dies hæc, & inter præcipuas solennitates hodierna solennitas numeratur. Quid ergo dicimus, cujus Apostoli, cujus Martyris, cujus sancti? Non unius alicujus singulariter, sed pariter universonum. Omnes siquidem novimus festivitatem Omnium Sanctorum dici, & esse, quam hodie celebramus. Omnium, inquam, sive cœlestium, sive terrestrium. Sunt enim Sancti de cœlo, & sunt Sancti de terra: itemque eorum qui de terra sunt, quidam adhuc in terra, aliqui jam in cœlo. Celebratur ergo festivitas omnium horum communiter, sed forsitan non uniformiter. Neque hoc mirum, cum non sit ne ipsa quidem sanctitas omnium uniformis, sed inter sanctos & sanctos distet, idque non parum. Nec modò dico quia alius alio sanctior (hæc enim quantitatis potius quàm qualitatis distantia est,) sed quòd non modo magis & minus, verumetiam aliter atque aliter sanctos dici & verè dici inveniamus. Et fortè inter Angelos atque homines assignari possit ista diversitas sanctitatis pariter & celebritatis. Neque enim tanquam triumphantes honorari posse videntur, qui nunquàm pugnasse noscuntur. Aliter tamen honorandi sunt nimis etiam ipsi tanquam amici tui Deus, cujus nimirùm voluntati semper adhererunt, tanta utique sceleritate quanta facilitate. Nisi fortè in eo pugnasse creduntur, quòd peccantibus alijs viriliter perstiterunt, non abeuntes in consilio impiorum, sed singuli quiq; dicentes: Mihi autè adherere Deo bonum est. Celebranda ergo in eis gratia præveniens in benedictione dulcedinis, honoranda benignitas Dei non ad penitentiam adducens, sed abducens

Sanctorum  
differentia.

SS. Angeli  
quare hono-  
randi.

In Festo Omnium Sanctorum, Serm. V. 417

abducens ab omnibus quibus penitentia deberetur; non eripiens sed a tentatione conservans.

Aliud sanè in his sanctitatis genus, & proprio modo videbitur honorandum, qui venerunt ex magna tribulatione, & dealbaverunt stolas suas in sanguine Agni qui post multos agones jam nunc triumphant in cœlis coronati, quoniam legitime certaverunt. Est ne adhuc sanctorum tertium genus? Est, sed occultum. Sunt enim sancti qui adhuc militant, adhuc pugnant, currunt, necdum comprehenderunt. Temerarie forsitan hujusmodi videar dicere sanctos; sed tamen novi unum ex his non veritum dicere Deo <sup>a</sup>: *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum.* Sic & Apostolus divinorum conscius secretorum, evidentius ait <sup>b</sup>: *Scimus quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Hæc nimirum diversitas appellationis in nomine sanctitatis, ut alij quidem jam secundum consummationem sancti vocentur, alij juxta solam adhuc prædestinationem. Latet ergo hujusmodi sanctitas penes Deum, clausa est, & clausè quodammodo celebratur. Siquidem *nescit homo utrum amore an odio dignus sit, sed in futurum omnia reservantur incerta* <sup>c</sup>. Sit ergo istorum celebritas sanctorum in corde Dei; quoniam novit Dominus qui sunt ejus, & ipse scit quos elegerit à principio. Sit etiam apud administratorios illos Spiritus, qui mittuntur in ministerium propter eos qui hæreditatem capiunt salutis: nos in vita sua laudare hominem prohibemur. Quomodo namque secura laudatio, ubi nec ipsa vita secura: *Non coronabitur nisi qui legitime certaverit* (ait tuba illa cœlestis <sup>d</sup>) & legem certaminis ab ore ipsius legislatoris auscultata. *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* <sup>e</sup>. Nescis quis sit perseveraturus, nescis quis sit legitime certaturus, nescis quis coronam sit accepturus.

Illorum lauda virtutem, quorum jam certa victoria est; illos devotis extolle præconijs, quorum securè potes adgaudere coronis. Cantavimus Sanctis hac nocte, dicentes <sup>f</sup>: *Timete Dominum omnes sancti ejus:* sed non istis. Non inquam, eos qui perseveraverunt usque in finem, timere hortabamur, quia scriptum est: iam non erit timor in finibus nostris. Illis potius dicebamus sanctis, quibus custodia multiplex necessaria est pro multitudine periculorum. Siquidem non est eis colluctatio adversus carnem & sanguinem tantum <sup>h</sup>: sed adversus principatus quoque & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in cœlestibus. Egent planè custodia qui tam multipliciter non modo eominus, sed eminus appetuntur: & ubi tot pugnae foris, non debent intus deesse timores, ut merito his dicatur; *Timete Dominum omnes sancti ejus* <sup>i</sup>. Tota interim

Sancti, alij  
triumphantes.  
Alii militantes.

<sup>a</sup> Psal. 85. a  
<sup>b</sup> Rom. 8. c

<sup>c</sup> Eccles. 9.  
Ante obitum  
nemo debet dici  
beatus.

<sup>d</sup> 2. Tim. 2. c  
<sup>e</sup> Matt. 10. c  
& 24.

<sup>f</sup> Psal. 33. b

<sup>h</sup> Eph. 5. b  
Beatitudo mortalium in timore DEI.

<sup>i</sup> Psal. 33. b

*k* Prov. 28. c interim beatitudo nostra est timere DEUM, dicente scriptura *k*;  
*l* Psal. 127. *Beatus homo qui semper est pavidus: Et item Psalmista ait <sup>l</sup>: Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in vijs ejus.* Cæterum longè aliter beati in quibus perfecta charitas foras misit timorem, nec jam timent ambulantes in vijs ejus, sed laudant potius habitantes in domo, sicut idem ait *m*: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Nostra ergo felicitas, nostra interim festivitas in timore Dei: nam illorum magis in exultatione & laude versatur.

*Sancti in cælis secure laudantur,*  
 Inde est quòd secure laudantur homines, qui non sua jam vivunt vita, sed Dei: nam hominum utique vita tentatio est. Est autem gemina quædam securitas laudis hujus, nisi quòd fortè videbitur, si diligenter attendimus, intra alteram, alteram comprehendi. Siquidem non est quod laudare vereamur verissimè certissimèque laudabiles; non est, quod glorificare cunctemur sic absorptos in gloria, ut nostra omninò nequeant laudatione moveri. Non enim est quo vanitas intret, ubi veritas jam totum occupavit. Sed quamam, inquires, gloria Sanctis; Neque enim singuli sese glorificant, quia scriptum est *n*: *Non te laudet os tuum.* Non vicissim alter alterum laudat, quia in laudè conditoris intenti, & extenti, in quo nimirum tota eis reposita est beatitudo, mutuis nunquam vacare laudibus possunt, dicente Propheta *o*, sicut supra quoque meminimus: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Veruntamen non acquiesco expertes gloriæ credere Sanctos, maxime propter illud quod Apostolus ait *p*: *Quod in presenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitatem æternam gloriæ pondus operabitur in nobis.* Et Propheta *q*: *Vista nos in salutare tuo ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad latandum in lætitia gentis tuæ: ut lauderis cum hæreditate tua.* Non enim, ait, ut lauderis ab hæreditate tua: sed, cum hæreditate tua, ut communis intelligatur futura laudatio. Quòd si ipsa laudat hæreditas Dominum, hæreditatem quis laudet, ab Apostolo audiamus; *Tunc, inquit, uncinique laus erit <sup>r</sup>.* A quo? *A Deo.* Magnus laudator, & vehementer ambienda laudatio, Felix commutatio laudis, ubi & laudare beatum est, & laudari.

*n* Prov. 27. a  
*Sanctorum laus & gloria unde.*

*o* Psal. 83, a

*p* I. Cor. 4. d

*q* Psal. 105, a.

*r* I. Cor. 4. a

*Adquid sancti laudes & præconia nostra,*

*Laus & memoria Sanctorum exci-*

Ad quid ergo Sanctis laus nostra, ad quid glorificatio nostra, ad quid nostra hæc ipsa solennitas? Quo eis terrenos honores, quos juxta veracem Filij promissionem honorificat Pater cœlestis? Quo eis præconia nostra? Pleni sunt. Prorsus ita est, dilectissimi, bonorum nostrorum sancti non egent nec quicquam eis nostra devotione præstatur: Planè quòd eorum memoriam veneramus, nostra interest, non ipsorum. Vultis scire quantum interest nostra? Ego in me, fateor, ex hac recordatione sentio deside-

In Festo Omnium Sanctorum, Serm. V. 419

desiderium vehemens inflammari, & desiderium triplex. Vulgo dicitur: Quod non videt oculus, cor non dolet. Oculus meus, memoria mea; & cogitare de Sanctis, quodammodo eos videre est. Sic nempe portio nostra in terra viventium, nec modica sanè portio: si tamen, ut decet, memoriam affectio comitetur: sic inquam conversatio nostra in cœlis est: veruntamen non sic nostra, sicut illorum. Ipsorum enim substantia ibi est, nostra autem desideria: ipsi per præsentiam, nos per memoriam ibi sumus. Quando & nos addemur ad patres nostros? quando essentialiter præsentabimur eis? Hoc enim primum desiderium, quod in nobis Sanctorum memoria, vel excitat vel incitat magis, ut eorum tam optabili societate fruamur, & mereamur concives & contubernales esse spirituum beatorum, misceri cœtui Patriarcharum, cuneis Prophetarum, fenatui Apostolorum, Martyrum exercitibus numerosis, Confessorum collegijs, Virginum choris. In omnium denique colligi & collatari communionem Sanctorum.

Singulorum quippe recordationes, quasi scintillæ singulæ, imò quasi ardentissimæ faces devotos accendunt animos, ut eorum & conspectum sitiant & complexum, adè ut plerumque etiam inter eos esse se reputent: modo ad omnes simul, modo ad hos vel ad illos tota aviditate & vehemètia corda vibrantes. Alioquin quid istud negligentia, quid pigritia, imò quid vecordia est, ut non crebris suspirijs & ferventissima affectione abrumpere hinc, & in illa, tam felicia agmina jaculari animos studeamus? Væ nobis à duritia cordis nostri, væ à peccato gentium, quas Apostolus memorat *sine affectione*. Præstolatur nos Ecclesia illa primitivorum, & negligimus: desiderat nos Sancti, & parvipendimus: expectant nos justis, & dissimulamus. Excitemur aliquando, Fratres, resurgamus cum Christo, quæramus quæ sursum sunt, quæ sursum sunt sapiamus. Desideremus desiderantes nos, properemus ad præstolantes nos, expectantes nos votis præoccupemus animorum. Ecce enim nihil in hac nostra communionem securitatis, nihil perfectionis, nihil quietis: & tamen hic quoque quàm bonum & quàm jucundum, habitare fratres in unum! Quicquid enim sive interius sive exterius molestum occurrit, ipso quoque tam germanorum consortio fratrum, cum quibus est nobis cor unum & anima una in Deum, tolerabilius invenitur. Quàm dulcior erit, quàm delectabilior, quàm beatior unio, ubi nulla suspicio esse poterit, nulla dissensionis occasio, ubi omnes perfecta charitas indissolubili foedere colligabit: ut sicut Pater & Filius unum sunt, sic & nos unum simus in ipsis?

Non tatummodo societas, sed etiam fœlicitas nobis est optanda Sanctorum: ut quorum desideramus præsentiam, gloriam quoque ferventissimis studiis ambiamus. Neque enim perniciofa hæc ambitio, aut illius affe-

Sermones S. Bernardi.

G g g

ctatio

*in nobis triplex desiderium.*

1. Societatis,
2. Felicitatis,
3. Intercensionis eorum.

1. SS. societas & præsentia desideranda.

t Rom. d  
Magna fœcunditas est, non anhelare ad consortium SS.

Si dulcis fraternitas in terris, quanto magis in cœlis?

Felicitas & gloria SS. affectanda.

*a* Pf. 113. b *Statio gloriae ullatenus periculosa est. Nam quod dicimus <sup>a</sup>: Non nobis, Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam, hujus temporis vox est, quando*  
*x* Luc. 2. b *& ipsi Angeli clamant: Gloria in excelsis DEO, & in terra pax hominibus*  
*y* Ioan. 20. d *bonae voluntatis. Noli me tangere, ait <sup>y</sup>, nondum enim ascendi ad Patrem meum. Verbum gloriae est. Nempe filius sapiens gloria patris. Noli ergo, ait gloria, noli me tangere. Noli interim quaerere gloriam, fuge potius: & vide omnino ne me tetigeris, donec perveniamus ad Patrem, ubi sit gloriatio omni s jam segura. Ibi ibi in Domino laudabitur anima mea, audiant mansueti, & latentur. Numquid non videtur audisse dicentem: Noli me tangere: nondum ascendi ad Patrem meum, quae in Cantico clamat <sup>z</sup>: Fuge dilecte mi, fuge? Hoc est enim quod supra meminimus. Non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Unde & in hymno hodie nos canimus, Des Pacem famulis, nos quoque gloriam per cuncta tibi saecula: juxta Angelicam scilicet distributionem.*

*z* Cant. 8. d *Quia enim tentatio est vita hominis super terram, merito in terra homini non gloria, sed pax est quaerenda: pax cum Deo, pax cum proximo, pax cum seipso. O custos hominum quare me posuisti contrarium tibi, & factus sum mihi met ipsis gravis. <sup>a</sup>? Vicina nimirum lucta & intestina seditio, bellum non civile, sed domesticum, spiritus adversus carnem, & caro adversus spiritum concupiscens. Unde hoc, nisi quia posuisti me contrarium tibi? Tu enim vera libertas, tu vita, tu gloria, tu sufficientia, tu beatitudo: ego pauper & miser & miserabilis, confusus & humiliatus usquequaque, mortuus propter peccatum, venundatus sub peccato. Denique tu perfecta & sancta voluptas & requies spirituum beatorum posuisti me ab initio contra Eden (quod voluptatem sonat) in labore utique & aegritudine. Attamen dicis: Convertimini ad me in toto corde vestra <sup>b</sup>. Liquet quia sumus aversi, quos ut revertamur hortaris. Liquet quia contrarij, quos revocas ut convertamur. Sed quomodo? In jejunio, inquit, & fletu & planctu. Mira res. Itane in jejunio tu versaris, & fletu degis, & in planctu habitas? Procul a te omnia ista: procul ipse ab his vehementer. Nimirum regnum tuum in Hierusalem, quam satias adipe frumenti; nec ibi luctus & clamor, sed nec ullus dolor, magis autem gratiarum actio & vox laudis. Injusti, inquit <sup>c</sup>, epulentur in conspectu Dei, & delectentur in laetitia, & exultatione. Quomodo ergo in jejunio & fletu, & planctu convertemur ad ipsum? An verò justus eum in laetitia & exultatione; qui verò nondum justus est, non nisi in jejunio & fletu & planctu reperiet? Ita planè, sed justus, qui jam conspectum meruerit, non qui adhuc vivat ex fide. Nimirum quod ait Dominus <sup>d</sup>: Cum ipso sum in tribulatione, ad eum pertinet qui per fidem ambulat; non autem qui ad faciem jam pervenit. Equidem*

*Homini in terra non gloria sed pax quaerenda.*

*<sup>a</sup> a. Iob. 7. d*

*Quomodo Deus hominem sibi posuerit contrarium.*

*b. Joel. 2. c*

*a. Psal. 67. a. Aliter justis beatis, aliter nobis in fide etiamnum ambulantiibus exhibetur Deus.*  
*d. Psal. 90.*

In Feste omnium Sanctorum, Sermo V. 421

Equidem utrisque est caput unum, sed non uno modo membris omnibus exhibetur. Quibusdam enim ostenditur caput hirsutum spinis, inclinatum in cruce, ut humilietur pariter, pariter & compungantur. Quibusdam gloriosum apparet, ut ab ipso glorificentur, ut in ipso glorientur facta ei similia, quem vident sicuti est.

Hoc ergo secundum desiderium, quod ex Sanctorum commemoratione flagrat in nobis, ut sicut illis, sic nobis etiam Christus appareat vita nostra, & nos quoque cum ipso appareamus in gloria. Interim nempe non sicut est, sed sicut pro nobis factum est, caput nostrum nobis presentatur, non coronatum gloria, sed peccatorum nostrorum circumdatum spinis, dicente scriptura: *Egredimini filia Sion, & videte regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater sua.* O regem! ô diadema! Mater siquidem Synagoga, non matrem sanè se exhibens, sed novercam, regem nostrum corona spinea coronavit. Pudeat sectari gloriam membra, quibus caput suum tam inglorium exhibetur, non habens speciem aut decorem vel aliquid ejusmodi. Nimirum Salomon est, quod interpretatum est, *pacificus*: sanè quod in presenti est, non utique beatificus, aut glorificus; ut in omnibus Angelicum illud elogium commendetur, quo *terris pacem, cœlis gloriam tradiderunt*. Pudeat sub spinato capite membrum fieri delicatum, quòd omnis ei interim purpura non tam honoris sit, quàm irrisionis. Videre est tamen hodie multis in locis non sine multa ambitione, & comestatione presentem diem honorari. Honorari, an dehonestari dicam? Ipsi viderint qui hæc agunt. Ipsorum est enim hujusmodi celebritas, non sanctorum? quod sibi libet faciunt, non quod Sanctis. Erit cum venerit Christus, nec mors ejus ultra annuntiabitur, ut sciamus quoniam ipsi quoque mortui sumus, & cum eo abscondita est vita nostra, apparebit caput gloriosum, & cum eo membra glorificata fulgebunt: cum videlicet reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum gloriæ capitis, quod est ipse. Hanc ergò gloriam tota & tuta ambitione concupiscamus, ne fortè audiamus & nos: quia gloriam quæ ab invicem est quæritis, & gloriam quæ à solo Deo est, non vultis.

Sanè ut eam nobis sperare liceat, & ad tantam beatitudinem aspirare, summoperè nobis desideranda sunt suffragia quoque Sanctorum: ut quod possibilitas nostra non obtinet, eorum nobis intercessione donetur: Misere mini mei, misere mini mei, saltem vos amici mei. Nostis ipsi periculum nostrum, nostis figmentum nostrum, nostis ignorantiam nostram, & dolos adversariorum: nostis eorum impetus, & nostram fragilitatem. Vobis enim loquor qui in eadem tentatione fuistis; qui eosdem superastis conflictus, eosdem laqueos evasistis; qui didicistis ex his quæ passi estis, compassionem. Confido equidem & de Angelis, quòd nec ipsi suam

Ggg 2

visitare

*Sub capite spinoso non decet membra esse delicata.*

*e Cant 3. 4*

*f Luc. 2.*

*Abusus celebrantium solemnium SS.*

*g Ioan. 5. 8*

*3. Sanctorum suffragia nobis desideranda & speranda.*

*h Job. 19.*

*1. Quia non ignari malorum quæ patimur, miseris succurrere didicerunt.*

Job. 5. d

visitare speciem dedignentur, maximè quia scriptum est <sup>2</sup>: *Visitabis speciem tuam, & non peccabis.* Cæterum etsi de eis mihi arbitror præsumendum ob spiritualis substantiæ, & rationalis formæ similitudinem, ampliori tamen fiducia ad eos mihi reor utendum quos habere me noverim, & in ipsa humilitate consortes; ut oporteat eos familiarius & specialius misereri ossi de ossibus suis, & carni de carne sua.

2. Quia Sacra-  
eorum pigno-  
ra id est Reli-  
quia penes  
nos sunt.

k Gen. 40. c  
3. Quia unius  
nobiscum cor-  
poris membra.

1. Cor. 12. d

4. Quia non  
consummandi  
sine nobis.

Denique transeuntes ex hoc mundo ad Patrem, sancta nobis pignora reliquerunt. Apud nos siquidem corpora eorum in pace sepulta sunt, quorum nomina vivent in sæculum, id est, quorum nunquam gloria sepelitur. Absit, absit à vobis animæ sanctæ, Ægyptia illa crudelitas pincernæ Pharaonis <sup>k</sup>, qui in gradum pristinum restitutus, statim oblitus est Joseph sancti, qui in carcere tenebatur. Non enim erant unius capitis membra, nec aliqua pars fidei cum infidei, aut ulla societas Israelitæ ad Ægyptum, non plus quàm luci ad tenebras. Interpretatur enim Ægyptus, *tenebra*, Israel verò *videns Deum*: atque ideo ubicunque Israel erat, lux erat. Non sic noster Jesus crucifixi secum Latronis potuit oblivisci: factum est utiq; quod promissum est: ipsa die qua passus est, & conregnavit. Nos quoque si non sumus ipsius capitis membra, cujus & Sancti, unde eis tam solemnibus hodie votis & tanto gratulamur affectu? Cæterum qui dixit <sup>l</sup>: *Si glorificatur unum membrum, congredient omnia membra*; hoc quoque nihilominus ait, *quod si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra*. Hæc igitur nostra & eorum cohærentia est, ut nos congratulemur eis, ipsi compatiantur nobis: nos devota meditatione regnemus in eis: ipsi in nobis, & pro nobis militent pia interventione. Nec est quod de eorum pia erga nos sollicitudine dubitemus, quandoquidem non consummandi sine nobis, sicut supra meminimus, expectant nos usque dum retribuatur nobis: ut videlicet in novissimo die magno festivitatis omnia simul in virum perfectum cum suo tam excelso capite membra concurrant, & laudetur cum hæreditate sua Iesus Christus Dominus noster, qui est super omnia benedictus, laudabilis, & gloriosus in sæcula, Amen.

## IN OBITUS. MALACHIE EPISCOPI.

## S E R M O.

DE cælo vobis hodie, dilectissimi, copiosa quædam est benedictio destinata: & fideliter eam non distribui, vobis quidem damnosum esset; mihi vero periculosum, cui nimirum hæc dispensatio videtur esse commissa. Timeo itaque damnum vestrum, timeo damnationem meam, si forte dicatur <sup>a</sup>: *Parvuli petierunt panem, & non fuit qui porrigeret illis.* Scio enim quàm necessaria vobis sit è cælo veniens consolatio, quos constat illecebris carnalibus & oblectamentis secularibus viriliter abrenunciâsse. Nemo

a Thren. 4. a  
Malachias in  
Claram-